



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 32. De Prouidentia Dei in omnibus huius vitæ aduersis & malis
pœnæ & culpæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO XXXII.
DE PROVIDENTIA DEI
circa res huius mundi aduersas,
ac de omnibus malis culpa,
& poenæ.

PUNCTVM I.

S. Thom. 1.
p. q. 22. a. 2.
ad 3. & 4.
& q. 103. a.
7.



CONSIDERANDVM primo,
quòd prouidentia diuina
còplectatur sub sua guber-
natione res omnes aduer-
sas, quæ in hac vita eueniunt,
& miserias omnes, quas ho-
mines sustinēt in corpore, & anima, disponēs,
& ordinans omnia mala, quæ nō sunt peccata,
permittens verò ipsa peccata ob altos, & se-
cretos suæ gubernationis fines, in bonū suarū
creaturarum, & nominatim hominū ad celi
electorum. Quamobrem dixit S. Aug. Deum
omnipotentem nullatenus concessurum ali-
quod malum in suis operibus, nisi adeo ipse
potens, & bonus esset, vt beneficeret etiam de
malo, imò de vno solo malo multa bona, quæ
ad tria genera reuocari possunt.

Euseb. e. 27.
30.3.

I. PRIMVM est ad manifestandum bonitatem
omnipotentiam suam iustitiam, & misericordiam, aliis
attributa, & perfectiones suas, quarum opera in his
miseriis exercetur, & elucet valde in iis, quibus
ad eas auertendas & remedium eis adferendum.

SE

SECUNDVM bonum est, *conseruatio totius vniuersi*, quod ita est constitutum, & talibus rebus constat, vt conseruari non possit, nisi aliqua destruantur, & corrumpantur, vt alię generentur, ac sustententur, ex quo oritur naturale odium, & inimicitia, quam animaduertimus inter aliqua animalia, pisces, & aues aduersus alia, quia illorum quaedam cedunt in aliorum nutrimentum.

II.

TERTIVM bonum est *commodum ipsorum hominum* tam naturale, quàm supernaturale, quia vtrumque horum commiscetur multis miseriis, quibus ipsa tamen perficiuntur. nam virtutes exercent suas actiones cum magno sui splendore circa miseras corporis, & animę proprias, vel alienas.

III.

SUB his tribus bonorũ generibus innumera alia continentur, quę diuina prouidentia euehit ex nostris malis, vt apparebit in sequentibus punctis, in quibus discurremus per omnia genera malorum, & laborum, quos patimur. Obseruandum tamen mihi erit pro mea consolatione, vt semper oculos coniciam non tam in malum ipsum, quod patior, quàm in bonum illud, quod prouidentia diuina ex illo malo deducere intendit, & gaudeã, quod habeam tam bonum, & potentẽ Deum, qui ex malis meis eliciat bona; nec permitturus esset malũ, nisi sciret, vellet ac posset aliquod bonũ ex eo elicere. O bonum infinitum gratias tibi ago obeam bonitatem, quam ostendis deducẽdo bona ex nostris malis, & permittẽdo no-

stram

stram miseriam, vt emineat magis infinita tua misericordia, ostende, quæso in me huiusmodi prouidentiam, vt omnino intercludam malum culpæ, conuertam verò in bonum quodcunque malum pœnæ,

PUNCTVM. II.

Dæmonis
tentatio-
nes.

DEINDE est consideranda mirabilis illa prouidentia, quam Deus habet circa afflictiones, & tentationes, quæ nobis à Dæmone proueniunt. Circa quod tria præcipuè sunt perpendenda,

II.

PRIMUM, quod Deus Dominus noster prouidentia sua potestatem facit Dæmoni, vt nos vexet, sine qua nec pilum quidem vestis tangere posset, *a nec in porcos intrare*, etiamsi ad eò sint vilia animalia; semper tamen Deus eò potestatem concedit cum certo limite, & termino, ac designatis certis rebus, in quibus nos vexet, & numero, & intensiōe tentationis, ac tempore, quo illa sit duratura; ita vt nec punctum, nec momentum amplius possit, quam Deus permiserit.

a Mat. 8. 31

II.

SECUNDVM est, quod quamuis eius voluntas ad eò sit peruersa, vt tentandi potestatem petat ad nostram ruinam, diuina tamen prouidentia non annuit, sed eius malitia veitur in nostrum commodum, intendens his tentationibus, & afflictionibus exercere nos in mortificatione, humilitate, oratione, ac cæteris virtutibus, tentatoris voluntati contrariis. Nam si Dæmon tentatione obiecta conten-

dit

dit me impellere in luxuriam, eadem tenta-
tione Deus vitur, vt magis perficiat in virtute
castratis; & si vult, calamitatibus mihi infli-
ctis, ad impatientiam me permouere ac de-
spirationem, eisdem calamitatibus Deus vult
me magis consolidare in virtute patientiæ, &
confidentiæ.

TERTIUM est, quod prouidentia diuina me-
riatur semper, & attemperet nostras afflicti-
ones, & tentationes viribus nostris tam natu-
ra, quam gratiæ, quam nobis concedere sta-
uit, ita vt *non patiatur*, sicut ait Apostolus,
nos tentari, aut vexari supra id, quod possumus:
sed faciet etiã cum tentatione prouentum, &
profectum, ad quod præstandum nobis multa,
& accommodata media offert; siue per Con-
fessarios, & bonos Consiliarios, siue per san-
ctos Angelos, qui Dæmonibus resistunt, siue
etiam per occultas inspirationes assistens ip-
semet, vt nobis subueniat, ita vt possimus cõ-
sequi finem ipsius prouidentiæ, nisi ipsi veli-
mus nobis deesse,

Ex his considerationibus duo magni mo-
menti documenta accipiam, vt in huiusmo-
di calamitatibus, & afflictionibus consola-
tionem habeam.

PRIMUM documentum est, vt non con-
ticiam oculos in Dæmonem, qui me vexat,
sed in Deum, qui id permittit, ipsamque af-
flictionem aspiciam, tanquam ab eius manu
venientem, siquidem cum illam posset im-
pedire, non impedit; quare dicam cum Sancto

Job:

III.

b 1. Cor. 10.
13.

s. p. Med. 27

c. *Iob. 2. 10.*

Iob: Si tot c bona accepi de manu Domini, quare non sustineam hac mala? Deus providentia sua dedit mihi sanitatem, facultates, honorem, pacem, & læticiam: quæ eadem providentia mihi abstulit dans Dæmoni ad id licentiam. satis mihi est, quod ipse eam dederit, ut ego eam approbem, & bonam iudicem, sit nomen eius benedictum, quia dedit; & sit benedictum, quia abstulit in æternum. Amen.

SECUNDVM documentum est, ut oculos concipiam, non in ea mala, quæ Dæmon mihi minatur, sed in bona, quæ Deus per meam illam exercitationem intendit, confidens in eius providentia, quod sit futura potentior in obviando eo, quod intendit, quàm Dæmon, quod ipse desiderat; ideoque oculos avertam à mea imbecillitate, ne deficiam; & à Dæmonis feritate, ne eum timeam; concipiam verò eos in Dei omnipotentiam, & gratiæ eius efficacitatem demissè supplicans, ut providentia sua ad eam efficaciam mihi applicet media, ut finem illum consequar, quem ipse amanter intendit.

PUNCTVM III.

Persecutiones ab hominibus.

I.

TERTIÒ est consideranda Dei providentia circa persecutiones, quæ nobis ab aliis hominibus excitantur, siue tyranni illi sint publici, siue hostes privati, siue amici ficti, siue falsi fratres. Circa quæst primò perpendendum

dum, quòd providentia diuina omnium horù
 hostiù manus ita ligatas habeat, vt sine ipsius
 facultate nec pilum vnum capitis auferre no-
 bis possint. sicut Christus Dominus noster di-
 xit suis discipulis: a b *Nonne b quinque passe-* a *Mat. 10.*
res: vaneunt b dipondio & vnus ex illis non a ca- 29.
det super terram, sine Patre vestro b nec est in b *Luc. 12. 6*
obliuione coram Deo; sed & capilli capitis vestri
omnes numerati sunt. Nolite ergo timere,
multis passeribus a meliores, & b pluris estis
 vos. Quibus verbis duplicem rationem iu-
 cundissimam, & suauissimam diuinæ prou-
 dentia insinuat Christus Dominus noster.

PRIMA ratio est, quòd Pater noster cele-
 stis curam habeat vitæ passerum, etiamsi vi-
 lissimorum, & nec minimi illorum obliuif-
 catur, adèd vt nullus eorum capiatur, aut
 mortuus in terram cadat absque ipsius prou-
 dentia; multò igitur maiorem curam nostri
 habebit, quia passerum non Pater est, sed Do-
 minus; nostri verò & Dominus est, & Pater,
 & Pater ille, cui cum curæ sit salus, & vita
 seruorum, multò magis erit filiorum. Et qui
 non obliuiscitur vilissimi passeruli, aut a-
 uiculae, non obliuiscetur vnus hominis, ma-
 ximè amici sui, quia pluris est vnus homo in-
 finitis auiculis; quod si venator nec venari po-
 test, nec occidere vnam auiculam sine volun-
 tate Dei, qui id ita permittat, multò minus
 tyrannus vexare poterit, aut interficere iu-
 stum absque licentia, & permissione cœlestis
 eius Patris.

2.

SECUNDA ratio est, quia Deus omnes capillos nostri capitis numeratos habet, & curam illorum gerit, sicut homines magnam rationem habent rerum, quas habent in numero, quare nullus absque Patris cœlestis licentia potest vel vnicum capillum ex hoc numero nobis auferre; qui igitur tantam habet meorum capillorum prouidentiam, quare est hominis vilissima, minimique momenti, quod sit vnus plus, aut minus, quando maiorem prouidentiam habebit meæ salutis, vitæ, & honoris, rerumque aliarum grauiorum, quæ me concernunt? quod si hostes mei nec vnicum capillum sine cœlestis Patris licentia auferre mihi possunt, multo minus poterunt auferre salutem, honorem, aut vitam.

c Zac. 2. 8.

d Psal. 16. 8.

HAC confidentia decet me viuere valde contentum, ac securum, tanquam sub protectione Domini aded potentis, ac beneuoli constitutum, qui ait; *c qui tetigerit vos, vel in vno pilo capitis, tangit pupillam oculi mei.* O dilecte mi, *d custodi me sicut homines custodiunt pupillas oculorum tuorum, sub umbra alarum tuarum protege me, vt solent aues pullos suos sub alis suis collocare; & tuere me à facie impiorum, qui me affligerunt, sicut illi suos defendunt à milibus.*

II.

EX his ascendam ad considerandum secundò, quod prouidentia diuina permittit, vt mali homines nos persequantur, quia magna nobis ex hoc bona proueniunt; non enim eam licentiam nostris hostibus dedisset, nisi per

eol.

eisdem tanquam per instrumenta quædam illa bona nostra ipse intenderet; sicut permittit tyrannos; ut sint aliqui clarissimi Martyres; in quo duo facit præclarissima.

Primum est, quod ex huiusmodi persecutionibus eliciat ipse bonum, è diametro contrarium malò, quod hostes nostri per illas intendebant, ad eò ut interdum eadem medià, quæ illi adhibent, ut nos pessundet, accipiat Deus, ut nos exaltet.

Secundum est, quod ipsam persecutionem conuertat Deus in bonum nostrorum hostium, bene scilicet eis faciendo, eadem via, qua ipsi nobis nocere voluerunt. Vtrumque hoc emicuit in persecutione Iosephi, quem Deus eò eleuauit, ut esset Prorex Aegypti, per eadem medià, quæ fratres eius ad illum perdendum adhibuerant: & per eadem omninò medià ipsis fratribus Deus in necessitate constitutis subuenit, ut ipsemet Ioseph declarauit dicens illis; *e Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, venique in Aegyptum, non tam vestro consilio, quàm Dei voluntate, qui profante vestra misit me ante vos in Aegyptum, ut saluos faceret multos populos.* Hac consideratione me ipsum solabor, cum aliquis me persequetur dicens cum Dauide: *g obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti, & tua ordinatione, ac permissione euenit mihi hæc calamitas: quia ergo tu fecisti, non decet, ut ego conquerar.* Et ipsemet Dauid, cum ei

e Gen. 50.
20.

f. 45. 8.

g Psal. 38. 10

h 2. Reg. 16. malediceret Semei dixit suis seruis: h Domi-
 10. nus praecepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est
 qui audeat dicere, quare sic fecerit? dimittite
 eum, vt maledicat iuxta praeceptum Domini: si
 fortè reddat mihi Dominus bonum pro maledi-
 ctione hac hodierna. Sic, inquam, mihi metipſi
 dicam; ne cogita, casu aduenire tibi maledi-
 ctionem, aut calamitatem, quæ te premit; quia
 nullus posset dicere, aut facere malum cõtra
 te, nisi Deus ad id licentiam daret; ne cogita
 datam esse licentiam in tuum damnum; pro-
 pterea enim dicitur, quod *mandet*, quia ad tuum
 commodum illud permittit: quod si hoc no-
 mine ille id mandat, quis poterit iure ab eo
 quærere, cur ita mandet? satis mihi est, Do-
 mine, quod tu ita mandes, vt sit benè manda-
 tum, quia semper est recta, & iuxta tua guber-
 natio.

PUNCTVM. IV.

QVARTO est consideranda paterna Dei
 providentia, circa aduersitates corpo-
 ris, siue illæ sint communes, siue pri-
 uatæ; siue oriantur à solis causis naturalibus,
 siue ab aliqua malitia, aut incuria hominum,
 quales sunt tempestates, & inundationes,
 bella, pestes, morbi, ac dolores corporis, &
 innumeræ aliæ miseriæ, quibus affigimur,
 quæ omnes subscriptione diuinæ providen-
 tiæ veniunt firmatæ, & munitæ, siue qua nec
 vna sola euenisset, ac propterea quidam Pro-
 pnetia

pheta dixit: *a non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.*

a *Amos. 3. 6*
Mórbi.

L.

SED in particulari perpendam, quòd prouidentia diuina minutissimè decretas habeat omnes infirmitates & morbos, qui mihi eueniunt, meis viribus eos accommodans, quoad numerum, qualitatem, intensiorem, & durationem eorum, ita vt humor, qui vexat caput, non possit ad alteram partem trāsire, nec crescere, aut plures horas durare, quàm decreuerit Deus. Et similiter eadem prouidentia diuina euentus curationis disponit, & vt medici, quid sit faciendū, intelligant; aut non satis assequantur, & errant; & q̄ pharmaca apta, aut inepta exhibeātur, & opportunè, aut importunè; ita vt horū nihil à casu fiat respectu Dei, q̄ his omnibus rebus, & circūstantiis utitur, vt quod intendit assequatur. nam vt ait Sap. b. *a* *Deo est omnis medela, & eius euentus; & c. vita, & mors à Deo sunt, & sanitas, & infirmitas, qui & sua prouidentia d. percutit & sanat; mortificat, & uiuificat, deducit ad sepulchrum, & reducit.* Ex quibus discam, quòd quamuis in similibus casibus possim, ac porrò debeā, humana media adhibere apta, & accommodata, vt ab his miseris et ipiar; sed præcipua tamē mea fiducia non sit in illis collocāda, sed in Deo, ad quem sit confugiēdum per orationes. nā eius prouidētia est felicem exitum mediis à me adhibitis dare, aut meliora adhibere.

b *Ecc. 38. 2*

c *1. Cor. 11. 14*

d *Osea 6. 2.*

e *1. Reg. 2. 6;*

II.

DEINDE perpendam, q̄ prouidentia diuina dirigit, aut permittit huiusmodi morbos

1. Cor. 12.
9.

& alias corporis miserias in bonum animæ, ut per eas purificetur à culpis, vincat suas passiones; exerceat virtutes, & earum consequatur perfectionem: *f nam virtus* (dixit ipse Dominus Apostolo) *in infirmitate perficitur.* Quare eam aspiciens, non quæ corpus affligit, sed quæ à Deo destinatur in meum commodum, debeo ex ea gaudere, dicens cum eodem Apostolo: *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Quod si caro tales refugiat labores, dicam illi in feruore spiritus illud Christi ad Petrum: *g calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Hæc infirmitas, & labor hic cum omnibus amaritudinibus illi adiunctis calix, & potio est, à prouidentia Patris coelestis præscripta, ac porrò valdè utilis. Satis itaque est quod ipse præscripserit, ut ego illam acceptem, & amplectar. Si itaque ipse præscripsit, ut hauriam, volo omninò bibere, ut faciam, quod ipse vult; nec recedam ab eo, quod ipse præscribit, ac mandat.

3. Ioh. 18. 12

PUNCTVM V.

Animi
miseriæ.

a Gal. 3. 17.

QVINTÒ consideranda est prouidentia Dei Domini nostri circa miserias nostræ animæ, quæ sunt duplices, aliæ inuoluntariæ, quæ nos etiam inuitos, & volentes vexant, & affligunt, quales sunt rebellantis a *car-nis aduersus spiritum pugna,* & perturbationes; imaginationes, vagationes, & distractiones, &

fimi.

similes alii defectus, qui ex Originis peccato
prouenerunt, quos diuina prouidentia in no-
bis reliquit, non in detrimentum, sed in exer-
citationem, ob ingentia bona, quæ ex hac pu-
gna sequuntur iis, qui strenuè in ea se gerunt. id. *b Rom. 5. 2.*
eoq; Deus Dñs noster paterna sua prouidètia *c 8. 13.*
vim, & violentiam tentationum internarum
ita moderatur, vt nos non suffocent, datq; no-
bis sufficientem gratiam, vt in eo conflictu vi-
ctores euadamus.

ALIAE sunt miseriarum voluntariae, ab inordi-
nata videlicet libera nostra voluntate veni-
tes, quales sunt culpæ, & peccata, quæ nullo
modo à diuina prouidentia intenduntur. po-
tius enim extra ipsius ordinem veniunt, & ad-
uersantur præcipuo ipsius gubernationis fini,
quæ est salus nostra, ad ipsius gloriam. Per-
mittit ea tamen, vt hominis libertas constet,
& facta recta seruetur, ex quibus nihilominus
bonitate sua infinita, & altissima prouidètia
magna elicit bona, nunc ipsius, qui illa comi-
sit, quem ex ea occasione reddit humiliorem,
sibi diffidentem, in posterum cautiorem, & in
seruicio diuino feruentiorem; nunc aliorum,
quia crudelitate, & malitia impiorum exercet,
perpolit, ac perficit bonos; semper verò ex ip-
sorum peccatis manifestat suam bonitatem, aut
quia expectat peccatorem, & benignè redeun-
tem excipit eaque remittit; aut quia seuerè *c Rom. 8. 28*
sua iustitia illa, castigat, *c omnia autem (teste*
Apost.) *diligentibus Deum conuertuntur, &*
cooperantur in bonum. Qui, ex diuina prou-
-

II.

dentia, etiam ex propriis peccatis humilitatem hauriunt, & ex alienis cautelam, & ex obtenta venia amorem, & gratitudinem erga diuinam misericordiam, & ex supplicio, & pena illata, timorem, & reuerentiam erga diuinam iustitiam. O Deus æterne, cuius prouidentia, Adami culpam conuertit in bonum vniuersi; occasionem ex ea accipiens dandi nobis filium tuum in Redemptorem. Conuerte, ex tua misericordia in bonum meum, quod ego miser feci in malum meum. O Redemptor mundi, qui redimis à peccatis, ea remittens, & ab eis præseruans; remitte quæso, quæ hætenus comisi, & præserua me ab iis, quæ in posterum committere possum, applicans mihi, benigna tua prouidentia omnes hos copiosæ tuæ redemptionis effectus. Amen.

III.

ULTIMO perpendam innumera occulta beneficia, quæ ab eadem prouidentia diuina in prædictis omnibus rebus proueniunt, intercludit enim, & auertit innumera corporis, & animæ mala particularia, & generalia, quæ uenirent in hoc mundo, & quorum ego nominatim, nisi Deus præueniret, particeps essem. Propter quæ (vt supra est dictum) debeo illum laudare; & vt orans peto *ab occultis meis munda me Domine*, (nā etsi mihi occulta nunc sunt Deo tamen non sunt, & aliquando etiam mihi erunt manifesta,) ita debeo illi gratias agere pro beneficijs occultis, etsi enim occulta sint, non propterea desinunt esse grandia, & aliquando mihi patefient, & valde erubescerem,

nisi

*Medit. 28.
Iunct. 2.
d Psal. 18. 13*

nisi gratias etiam pro illis egissem. Gratias tibi benefactor supreme, propter bonū, quod mihi confers, occultè me liberans à malis, quæ facerem, & miseris, in quas inciderem, nisi ea auerteres. Perge Domine in supremo hoc beneficio, vt tali providentia, certa sit mea perseuerantia in gratia tua, & coronam obtineam gloriæ. Amen.

MEDITATIO XXXIII.

DE PROVIDENTIA DEI,
in exaudiendis nostris Orationibus,
& tempore expediendis;
& quantum hoc sit beneficium.

PUNCTVM I.



CONSIDERANDVM primò, quod providentia diuina acceperit ORATIONEM tanquã instrumentum & medium præstantissimum, ad ea exequenda, quæ ipse circa hominũ gubernationẽ designauit, tã in rebus de quibus hætenus diximus, quã in aliis de quib⁹ postea dicemus. Nã videns ipse quã multa dona nobis desint corporalia & spiritualia, tẽporalia & æterna, & multitudinẽ malorũ, quib⁹ subijcimur in corpore & anima; nec nobis suppeterẽ vires

I.

S. Thom. 2.
2. 7. 38. a. 2.
Et 1. p. q. 23
a. 8.